

# EPISTULA LEONINA

## CVII

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CVI** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM SEPTIMAM (107) !**

## ARGUMENTA

1. POEMA DE CHOCOLATIS OPIFICIO.....	05-07
2. DIALOGUS DE CHOCOLATA.....	08-15
3. MAGISTRI CORNELII SECRETUM (fabula).....	16-23
4. DE LIBERIS NUMERANDIS (disquisitio grammatica).....	24-28
5. ECHUS VOCES.....	29-30

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam septimam.*

*In Theobromatologiae parte tertiatā invenies poema et dialogum. Saeculo septimo decimo **Thomas Stroza** quidam lesuita Neapolitanus cacaone ex Novo Mundo allatā tam suaviter affectus est, ut de hōc cibo divino pangeret Latinum carmen didacticum tres in libros divisum, quod inscribitur “**De mentis potu sive de chocolatis opificio**”. Gusta, quaeso, nonnullos versūs cacaoticos magnā cum inflammatione animo pactos. De arte Strozianā autem velim tu ipse iudices. Nam equidem similiter ac Ennius »numquam poetor nisi podager« – et Deo gratias ago, quod morbo podagrae nondum affectus sum.*

*Sequitur **Dialogus Americani et medici et civis, qui inter se colloquuntur de chocolatae commodis et incommodis.** Americanus (i.e. Mexicanus) in fine narrat de sacerdotibus suaे patriae obesitate tam fatigatis, ut medio in officio divino bibant cocoam ad animam refocillandam. In fine memorantur mulierculae Mexicanae zelotypiā affectae, quae pocillis cocoae maritorum moechorum immisceant venenum. O tempora, o mores! Vides mores saeculo septimo decimo exeunte in Novo Mundo haud meliores fuisse quam in Vetere.*

***Tertio loco** invenies mirabilem **historiolam Alfonsi Daudet** magni narratoris Francogalli, quem in Latinum convertit Paulus Kangiser carus sodalis noster Iacobopolitanus.*

***Quarto loco grammatica** tractatur: Petrus enim Batavus lector attentissimus recensione meā versiunculae cuiusdam Grimmianae perfectā me adhortatus est, ut explicarem, quibus verbis numeralibus numerarentur liberi, i.e. filii filiaeve.*

*Denique utinam vaces etiam **Echûs Vocibus** legendis, utinam ipse quoque nobis scribas epistolia Latina. Nam ad Latinitatem fovendam maximè valet usus sermonis cottidianus nequaquam emortui, sed mirabili cum vivacitate profluentis e fonte perenni...*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,  
**die Dominico, 29. m. Maii, a.2016**



**PLURIMA COMMENDAT COCOLATIS POCULA VIRTUS:  
PLURIMA QUAE CREBER JAM COMMODA COMPERIT USUS  
CONCELEBRANT MERITO CREDAS UT NOMINE DICI  
AMMERICUM ELIXIR VEL MEXIACAM PANACEAM.**

TOMMASO STROZZI, *De mentis potu sive de Cocolatis opificio libri tres*, Liber tertius,  
p.59, v.4. ab ultimo. In: P.Thomae Strozze Neapolitani e Societate Jesu poëmata varia.  
Neapoli 1689.

# **THEOBROMATOLOGIA SIVE HISTORIA CACAONIS ET SOCOLATAE (III)**



## **1. POEMA A THOMA STROZA DE CHOCOLATIS OPIFICIO SCRIPTUM**

P. Thomae STROZAE Neapolitani e Societate Jesu poemata varia Neapoli 1689,  
p.1sqq.: DE MENTIS POTV SIVE DE CHOCOLATIS OPIFICIO LIBRI TRES.

lib.I, v.1-6:

Quae pariat glandes arbor, quo semine tellus  
 Faeta, peregrinas laeto ferat ubere fruges,  
 Queis tumido spumant Cocolatis pocula succo:  
 Quo sint haec miscenda metro, qua lege paranda.  
 5 Et quos Mexiacum servetur nectar in usus.  
 Hinc canere incipiam. . . .



**lib.I, v.60-91:**

Olli curvatis pendent vegrandia ramis  
 Poma, pari pepones quae mole, nec impare ductu,  
 Et multis referunt rugoso cortice sulcis.  
 Haec simul inciso diffindas tubere, plexis<sup>a</sup>.  
 Ceu pepones, inserta dabunt sua semina fibris;  
 65 Dispare sed forma; nam longè crassior illis  
 Nucleus est, tenuique latet sub tegmine pellis;  
 Haud secùs ac duro lectae de robore glandes,  
 Queis gracilis modico tenuatur acumine mucro.  
 Quin color & peponi dispar; nam murice fibrae;  
 70 Imbuitur, vivo saturantur murice fibrae;  
 At pulla baccae livent ferrugine; postquam  
 In scrobe, multiplici divisum segmine, pomum  
 Marcuit, & fuscum leviter duxere colorem;  
 Haec porrò leni pinguescunt unguine, qualis  
 75 Appula, quae laetis adolescit amygdala campis;  
 Usque adeò, ut tenerum presso de semine florem  
 Elicant, scabrum quo mulcent furfure vultum.  
 Iam fructus aqueo turgent humore; sub umbris  
 Progenitos, pleno lactat quos ubere radix,  
 80 Humentesque fovent limosa uligine glebae.  
 Omnibus est idem, libes si fragmina, succi  
 Et sapor, & genius; nam cortex, semina, fibrae  
 Tuberis austero perstringunt guttura morsu  
 Hispida, nec molli sapiunt subamara palato.  
 85 Indica vox, Italas turpi quae polluit palato

<sup>a</sup> (a) Ex Franc. Hernandez relationibus. Apud Recchum.

- Faedo sono, plantam, pomumque, & condita signat  
 Semina, deliciasque gulae dixerunt Cacaum;  
 Aucta seu potius, Cacavatem, nomine. Sic est  
 Haud raro imponunt vocum ludibria: turpi  
 90 Optima saepe latent faedi sub nominis umbra:  
 Saepe alias operit speciosum turpia nomen.

**EX CARMINE****ANNO 1689 NEAPOLI EDITO****QUOD****DE MENTIS POTU  
SIVE DE CHOCOLATIS OPIFICIO****PEPIGIT****THOMAS STROZA***(Tommaso Strozzi)***NONNULLOS VERSÙS EXCERPSIT****NICOLAUS GROSS**

<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS.**

## 2. DIALOGUS DE CHOCOLATA

NOVI TRACTATÙS DE POTU CAPHE, DE CHINENSIUM THE, ET DE CHOCOLATA. Auctores : Philippe Sylvestre Dufour, Antonio Colmenero de Ledesma, Jean-Jacques Manget. Genevae 1699.



AZTECAE COCOAM PRAEPARANTES

### DIALOGVS DE CHOCOLATA

*Interlocutoribus, Medico, Americano & Cive.*

**Medicus.** Est in Indiis vestris & in Hispania familiaris quidam potus *Chocolate* dictus, ac ut existimant, medicamentosus, cuius vires nunc disquirere volupe est.

**Americanus.** Paratur ex fructu cuiusdam arboris in Hispania nova, cuius folia Maliaarentiae foliis similia, sed majora sunt. Fructus verò cucumeri magno striata ac rufo persimilis est, granis sive parvis amygdalis quas *cacao* vocant gravidus quaeque pro majori aut minori mole in quattuor distinguuntur species, sub aliarum arborum umbra plantatur, ne eam solis aestus adurat ab exsiccat. Hi *Cacao* inter omnes merces pluris habentur, eo quod monetae loco inserviant, & compositionem celebrem *Chocolatam* subingrediantur.

**Medicus.** Vidi quidem & degustavi, sed ut verum fatear, neque pro moneta, neque pro potu mihi arridet, quocumque elogio extollatur. Celebris nominis Medicum quidem audivi, qui magna de ea narrabat tum ob quaestum quem ex tabellis aut conserva ex hac enatis compositione faciebat, tum ob effectum ejus experimenta in variis quibus exhibebat

aegrotis. Quod ad *Cacao* selectionem nonnihil virides adhuc colligendi, & tamen sicciores & vetustiores pro compositione seligunt, nihilominus sapore aspero, astringente & ita ingrato donatos ut multi qui fructum degustârunt ab hoc potu abhorreant. Qui illo utuntur refrigerans esse aiunt, nec unquam, teste experientâ, inebriare. En ergo *Cacao* qualitates ubi quis impermixtis utitur, desiccantes nempe & astringentes, ac proinde terrestres ac refrigerantes, ut sunt omnia styptica, quibus aspera & acida accensentur.



AZTECUS FRUCTUM  
CACAOonis TENENS


**Americanus.** De eorum qualitatibus judicium non feram: sed cùm in Indiis nostris saepe placentulas *Chocolatas* confici viderim, observaverimque Cacao nucibus pulveratis & tritis, sine pondere et mensura, piper, cinnamomum, cariphylos, anisum aliaque summè calida addi, irridere eos soleo qui asserunt *Chocolatam* esse refrigerantem ac medicamentosum, sive aquâ tepidâ dilutam, sive spissam instar cibi assumatur.

**Civis.** Ii ergo qui huncce potum aegris suis praescribunt certam non habent virium ejus notitiam, cùm nec ingredientia omnia nôrint; nec eorum dosim. Quaenam, bone Deus, temeritas, cum Doctores quivis Medici fateantur cum Galeno lib.1 de simpl. Med. Facult. Cap.21. Piper tritum ac pulveratum aegris nec sanis exhibendis, sed dumtaxat integrum; hac enim ratione stomachum calefacit, coctionemque juvat, nec tamen ad hepar, aliaque viscera, quibus calorem suum inureret

penetrare potest. Et propterea eruditiores medici aquas calidas & aromaticas cinnamomi, aliasque similes non usurpant, nisi prius ad Balneum Mariae fuerint distillatae.

**Americanus.** At dic mihi, quae so, utrum *Chocolata* aequè malè sana sit ac *nicotiana*.

**Medicus.** Minime quidem, sed Author ille qui generalem Historiam Plantarum scripsit [Benzo referente Clusio Exotic.l.2.c.20] quique hunc potum parari vidit in Nicaragua, & aliis Hispaniae novae locis, ait eum esse porcis quàm hominibus convenientiorem, attamen vini defectu sese huic etiam asuevisse. Unde concludendum vini inopiam in America *Chocolatae* inventionem dedisse; quàm quidem variis modis, varioque sapore utuntur, quia ingredientium massa quae super lapide *Metate* dicto, à quibusdam aquâ diluitur, ab aliis verò *Atollâ*, antiquo Americanorum potu, qui ex Indico frumento cocto & loto paratur, non dissimili ab Amylo quod in Hispania ex aquis convenientibus propinatur aegris. Haec autem *Atolla* sola exhibita temperata est, ut ex dulci & grato sapore conficere est, qui ab Amygdalis quarum temperies est moderata, non admodum differt.



ECCE METATE, ID EST LAPIS MEXICANUS, QUO DISTERUNTUR FABAE CACAOTICAE

Unde Hispaniae novae medici utiliter illam cum saccharo aegris suis praescribunt: modo viscerum fervore non labore, quo in casu juxta Hippocratis & Galeni doctrinam, panatis, ptisana & hordeatis, ut in Hispania fieri assolet, utuntur.

At *Chocolatae* usus ita urget in omnibus Occidentalibus Indiis, ut platea nulla sit, forumve nullum, ubi non reperiras Nigram aut Americanam mulierem cum quo tentorio, suo *Apastlet* seu vase huic parandae, ligno

denticulato instar fusi suo in Hispania filum, contorquetur, & refrigeratorio quo aerem excipiunt ad spumam refrigerandam. Accipiunt primo istae mulieres placentae Chocolatae portionem quam aqua diluunt, spumamque separant, quae optima & praecipue est ejus substantia, immittuntque in crateres *tecomates* dictos, quibus illae circumdantur, adstantibusque Americanis & Hispanis distribuunt cum *Atolla* calida, quam in ollis juxta se habent cuique magnas tribuunt vires, miroisque effectus.



ECCE MEXICANA VASA CACAOTICA  
*quae inveniuntur in Museo Britannico.*

Quidam nunc potum tinctum & coloratum volunt *Achiota* quae nihil aliud est quam pulvis sive pastillus ex fructu quodam paratus, quem aiunt in colica praestantissimum esse remedium. Sunt enim Americani magni impostores, qui plantis suis magna nomina imponunt, ut famae laudem acquirant. Haec de Chocolata quae in nundinis & foris vulgatissima venditur. Fit enim alias & varii coloris quam *Xocoatole* & *Chillatole*

nuncupant. [Quae quidem Chocolatae fit nuncupatio ex diversae *Atollae* permixtione, aliasque multas ejus species refert du Laec lib.7.cap.30. *Xocoatole* nomine intelligunt aquam acidam ex frumento Indico in aqua maceratam, & per noctem aeri expositam. *Chillatole* ex hac aqua cum *Chilles* sive pipere mixta.]



#### ECCE FERVIDA COCOA MEXICANA RUTABULO PERAGITATUR

(p.184). Quod spectat ad Chocolatam quae domi fit, amicis vicinisque offertur, praecipue in Monialium aedibus; quae in tabellas efformatur quas Pinolen vocant, quaeque frigide vesperi bibitur, & si iisdem constet ingredientibus, nomine tamen & qualitate fiffert, majorique habtur pretio. Ecce usitatam Receptam inter politiores populos, & praecisam ad hanc compositionem singulorum ingredientium dosim.

**(Calefacito) Cacaos, 700. Sacchari albi Ib. B. Cinnamomi, ij. Chilles seu Piperis Mexicani, Pimiento etiam dicti, grana XIV. Caryophyllorum B. Tesactae (id est vanilla sive Campeche) siliquas iij. Vel ejus loco anisi ij. Achiotae quantum ad calorem ei communicandum satis erit, quod forte avellanae molem aequabit. Aliqui Amygdalas aut avellanas addunt. Ex his torrefactis et super lapide metate tritis cunn saccharo pasta fit, quae pyxidibus includitur, cui addunt nonnulli aquae naphae guttas aliquot, vel moschi aut ambari grisei granum, vel scolopendriae pulverem.**

Quod ad utendi modum sive in potus sive in cibi forma, sumitur quotidie mane Chocolata cum Macarone aut Biscocto, sicuti in Hispania sumere solent (p.185) Amygdalatum, Avellanatum, Ovum, seminum frigidarum potum aut Amyum. Hos autem ex hordeo, farina, saccharo compositos cremores, excalafactois et emaciatis dari non absonum est. Sed Chocolatam omni tempore, & hora exhiberi, & cuvis sexui, aetative propinari, hoc sane & reprobandum & vituperandum est.

**Americanus.** Horum testis esse possum. Quamplures enim vidi ita Chocolatae assuetos, ut ab ea nunquam abstinere possent, imo in quodam maris Littore, quo aquae hauriendae causa appulimus, Presbyterum vidi Missam celebrantem, qui cum esset admodum pinguis & fatigatus, necesse habuit sedere ante gratiarum actionem post communionem, & *Tecomaten* Chocolata plenum ab ancilla ablatum exhaurire, quo Deo juvante missam absolvere potuit.

**Medicus.** Excusari merebatur ab infirmitatem. Sed qui sani sunt & extra necessitatem, nihil consuetudini dare debent. Hoc enim praecipue Religiosos, quorum virtus exemplo nobis esse debet, minime decet.

**Civis.** Et quidem ego ab eo tempore quo in Americam veni, id observavi, & meismet oculis usurpavi, Chocolatae craterem durante officio divino in Ecclesiis adstantes multos haurire.

**Medicus.** Bone Deus, quaenam erga divinum cultum irreverentia? & quae civilitas et honos erga alios praesentes. Id certe nequaquam fieri deberet. Caeterum inter alia incomoda quae hic potus affert, existimo praecipuum causam obstructionem, pallidi virginum coloris, & hydropis, quorum in America proventus est maximus, Chocolatae & Cacao tribui debere: cum terrestris & frigidae sint naturae. Domicellae instar Amygdalatum comedunt, sicque abutentes sexcentos sibi accersunt morbos praecipue cachexiam, proavumque faciei colorem.

**Civis.** Probe mihi noti sunt hi potus, sed mihi jusculum acceptius est. Bonae fidei eorum, qui bene inde se habent Chocolatam relinquo. Num enim sanis aequè placet comestus, ac pernae, aut botuli frustum, vel persicorum, & cortipendulorum pastam, aliasve quae hic parantur conservae: num verò epotus aequè palato arridet, ac vinum S. Martini, Ciutad, aut Paroximenes, seu Pairis Ximenes Andalusiensis. Ac sanè quicumque sobriè & temperatè vivunt, absolutè negabunt potum, hunc sustentando corpori esse idoneum, nectarique toties decantato comparandum, quippe qui caput tentet, et alia pariat incomoda, cùm è contra, infinitos videamus aquam crudam aut coctam cinnamomi momentô, anisô, aliisque cognitis aromatibus temperatam bibentes diutissime sanos & vegetos absque vino vivere.

**Medicus.** Variis Medicinalibus vinis uri possemus à *Dioscoride* descriptis, aut a *Wechero* ex aliis authoribus allatis, quibus ingredientibus & eorum dosi cognitis, felicem in morbis successum experimur.

**Americanus.** Coronidem imponam Chocolatae facultatibus, ubi dixero frequentiorem ejus usum inopiam Hispaniae novae causari, cùm alias omnes domesticas superet impensas, & saccharum quod additur ad librarum duodecim millones & semis accedat. Nec omittendum huncce potum mulieribus familiarem vindicandae zelotipiae occasionem dedisse, venenisque viros intoxicandi, quae ab Americanis faeminis artium harum peritissimis & à Daemone edoctis, didicerunt. Ideoque harum frequentationem sapiens quisque vitare debet, ob sortilegij suspicionem, Scandala silebo & homicidia mihi à Jesuita in urbe Mexico praedicante narrata, ac hujus ope patrata.

Unde omissis aliis quae affert incommodis, Chocolatâ abstinere deberemus, vitandae familiaritatis & frequentationis causâ, cum natione beneficii & pravarum artium adeo suspecta.

**FINIS**



**FERVIDA COCOA MEXICANA**

# **DIALOGUM DE CHOCOLATA**

**ANNO 1699 GENEVAE EDITUM**

**EX OPERE**

**C.T.**

**»NOVI TRACTATUS DE POTU CAPHE, DE  
CHINENSIMUM THE, ET DE CHOCOLATA«**

**QUOD SCRIPSERE**

**Philippe Sylvestre Dufour,  
Antonio Colmenero de Ledesma,  
Jean-Jacques Manget**

**EXCERPSIT IMAGUNCULISQUE  
EXORNAVIT**

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS.**

# MAGISTRI CORNELII SECRETUM

Historiola Alfonsi Daudet a Paulo Kangiser in Latinum conversa



Franciscus Mamaï, vetus ille fistulator, qui post cenam domum meam sermocinandi causa interdum venibat, dum vinum fervefactum<sup>1</sup> bibimus, nuper mihi narravit veram et miserandam historiam vernaculam, cuius ventimolina mea<sup>2</sup> ad annos abhinc viginti testis fuit; res autem ab eo viro narratae adeo me moverunt, ut lectoribus ita tradere sim conaturus ut ipse audivi.

Itaque, lectores carissimi, parumper fingite vobis sedentibus vas vini coram adesse conditi, veteremque fistulatorem vos alloqui:

Nostra regio, optime domine, non semper tam illepida fuit atque ignobilis, quam nunc est.

Tempore praeterito crebrum commercium frumentarium hic agebatur, ita ut villici ex decem fere leucarum<sup>3</sup> vicinia, nobis frumentum molendum afferrent; omnes circa vicum colles ventimolinis erant cooperti; et dextrorum atque sinistrorum nihil videbatur nisi ventimolinarum alae, quae ob ventum magistralem<sup>4</sup> supra pinos se convertebant, et asinorum ordines saccos ferentium, qui sursum et deorsum per vias agebantur; praeterea, per totam hebdomadem libenter audiebamus ex locis altis flagellorum crepitum, et stridorem alarum, et pistorum adiutores

<sup>1</sup> \*fr. vin cuit, theod. Glühwein.

<sup>2</sup> Alfonsus Daudet tres fere annos (circa 1864) in ventimolina obsoleta in Provincia habitavit; ibi linguam vernaculam didicit et consuetudines Provinciales narrationibus intulit, quibus titulus "Litterae de ventimolina mea" ("Lettres de Mon Moulin").

<sup>3</sup> Leuca vel leuga, ae: fr. lieue, hisp. legua, theod. Leuge, angl. league: id est circa 5 chiliometra, vel unius horae iter pedestre.

<sup>4</sup> ventus magistralis: fr. mistral. cfr <https://en.wiktionary.org/wiki/mistral>.

“eia” atque “euge” vociferantes; diebus autem dominicis ad ventimolinas catervatim veniebamus, supra molitores pecuniam solvebant pro vino muscato: Tam formosae quam reginae erant puellae ventimolinariae vestibus acupictis vestitae, et crucem auream singulae ferentes; ego vero fistulam ferebam et ad multam noctem saltabatur more provinciali; cernis ergo ex illis ventimolinis gaudium et divitias a Provincia nostra esse captas.

Francogalli vero Parisini infortunatum consilium ceperunt, ut in via Tarasconensi conderent molinam vaporariam.

Rem bellissimam et novissimam! Villici assueverunt frumentum mittere ad istam molinam vaporariam, dum miserae ventimolinae relinquuntur vacuae, et quamquam aliquamdiu restiterunt, nonnulli ventimolitores vapore superari coeperunt, mehercule!, iamiam omnes coacti sunt, ut ventimolinas suas sisterent; aselli venientes nulli iam visi sunt; puellae cruces aureas venum dederunt; non amplius vinum dabatur, nullae iam fiebant saltationes; et quamvis ventus magistralis sufflaret, tamen alae ventimolinarum haerebant; postea, quodam die, concilium municipale omnia ista aedificia ruinosa decrevit, ut delerentur; illorum loco vites et olivae satae sunt.



Attamen, in istac clade, una ventimolina suo loco restabat eiusque alae audacter, sub molitorum illorum naribus, circumrotari pergebant; ventimolina illa erat Magistri Cornelii, in qua nunc demum nos sermocinamur.

Magister Cornelius vetus erat pistor, qui annos sexaginta in re molinaria versatus et induratus ob duram erat vitam, nova rei molinariae conditione fere in insaniam pervenerat; tota septimana per vicum currebat, dum omnes vicinos ad se arcessit et summa voce clamat Provinciam istorum molitorum vaporaria farina corruptum iri: “nolite illuc ire” - aiebat – “praedatores isti ad

conficiendum panem utuntur vapore, qui a Diabolo procedit; ego autem, vento magistrali et Aquilone, qui boni Dei respiratio est"; et magnam eiusmodi verborum vim edicebat, ut ventimolinas laudaret, sed a nullo audiebatur.



Tum senex, iratus et maestus, in ventimolinam suam se ipse inclusit ibique vivebat tamquam bestia fera; etiam noluit neptem suam Vivettam prope esse, quae erat quindecim annos nata, et cui, parentum orbae, nemo in orbe terrarum erat praeter avum; misera igitur puella coacta est, ut ipsa victimum sibi quaereret, et passim laboraret in villis, in domibus, vel inter bombyces vel in olivas; ab avo suo nempe videbatur amari, nam is saepe quattuor horarum iter pedestre sub sole faciebat in villam ubi neptis laborabat, ut illam visitaret, et cum videbat, multas horas cum fletu intueretur.

Vicini veterem molitorem ob avaritiam Vivettam dimisisse putabant; haud quidem honori ei erat sivisse neptem ex villa in villam circumagi, et rusticorum atriensium libidine periclitari similiter ac eius condicionis pueras; pessimum quoque censebant virum nobilem et honestatum, qualis Magister Cornelius etiam tunc habebatur, verum erronem per angiportus, pedibus nudum, et pileo terebrato, et fimbria pannosa circumvagari; eum cum die dominica ingredientem in missam videbamus, nobis quoque erat pudori, nobis senibus; Cornelius de hac re iam certior factus non una nobiscum sedebat, sed ad templi atrium, inter pauperes, prope benedictionis aquam semper manebat.

Magistri Cornelii autem consuetudini inerant nonnulla parum cognita, nam quamquam iam diu nemo ex vicinis frumentum ei attulerat, tamen ventimolinae alae semper ut antea convertebantur; et saepe ad vesperam vetus molitor asellum grandibus farinae saccis oneratum agens in via reperiebatur.

“Salve hoc vespere, Corneli”, vicini ei dicebant; “semper igitur in operam incumbis molinariam?”; “semper, puelluli mei” senex lepide respondebat; “Deo ago gratias; nec opera careo”.

Cum autem eum rogabant unde mehercule tanta opera gigni posset, is dito labiis apposito respondebat: “st!; ego in farinam exportaticiam incumbo”; nihil amplius audiri unquam potuerunt; ventimolinam illius autem inspicere ibique illum alloqui nemini ullo modo licitum erat; neque Vivetta ipsa illuc introibat.



Praeter ventimolinam euntibus ianua clausa videbatur; alae vero semper circumvertebantur, asinus ille annosus in aggere caespitem pascebatur, grandisque cattus vescus ad fenestram apricabatur, maligne nos aspiciens.

His rebus omnibus mysterium redolentibus vicini inducebantur, ut Magistrum alloquerentur secretum illud sciscitantes; quamquam Magistri Corneli secretum suo modo enodabat, tamen ex omnium opinione in ista ventimolina potius quam sacci farinae inerant nummorum.

Tempore interiecto omnia tamen reperta sunt; en dicam tibi quo modo:

Cum iuventuti fistula mea saltanti praessem, primogenitum meum et Vivettam puellam intellexi se invicem amare; ut verum dicam, haud aegre tuli, propterea quod Cornelii nomen nihilo minus inter nos adhuc honestus erat, et Vivetta, monedula illa speciosa, mihi placebat quandocumque nobiscum versabatur; unum autem restabat curandum: nuptiae mihi erant celeriter parandae, nam, cum iuvenes inter se amantes saepe clam una esse possent, verebar ne quid casu forte accideret; quapropter ad ventimolinam ascendi ut paucis verbis de re cum avo agerem; ah! callidum senem! Utinam vidisses quonam modo me reciperet! Nullo pacto ianuam aperuit; ego verba signaque faciebam per pessuli

foramen, et dum loquor, cattus ille vescus, qualis ipse diabolus, supra caput meum de fenestra mihi minaciter sufflabat.



Senex impedivit quominus verba finirem, et impudens summa voce mihi imperavit ut abirem procul ad canendam fistulam; quod si meo filio uxorem quaererem, me commode aliquam ex molina ista vaporaria invenire posse; crede mihi his verbis pessimis auditis sanguinem meum in capite exarsisse; sed statim temperantia adeo usus sum, ut iram tenerem; itaque senem illum furiosum ad molinam suam reliqui, et ad iuvenes reverti, ut incommodum meum nuntiarem; miseri agnelli vix credere potuerunt et rogarunt, ut sibi ad ventimolinam ascendere liceret cum avo collocuturis; non ausus sum negare et statim profecti sunt.



Tunc demum, cum Magister Cornelius modo profectus esset, in ventimolinam pervenerunt; ianua dupli ratione clausa erat, sed vetus magister profecturus scalam foris reliquerat, et illico pueri consilium ceperunt, ut per fenestram inscenderent et parumper

ea aspectarent quae in famosa illa ventimolina continebantur; et - rem mirabilem! - cella molaris vacua erat.

Nullus inerat saccus, nihil frumenti, nullus in parietibus ex farina pulvisculus, ne in telis quidem aranearum; neque frumenti contriti ille tepidus odor, quo olim ventimolinae implebantur; tabulatio autem pulvere erat obtecta, et magnus cattus vescus insuper dormiebat.

Cella inferior tam inops ac neglecta quam superior videbatur: cubile vitiosum et vestes aliquae pannosae et in aliquo scalarum gradu panis frustulum, etiam in angulo tres vel quatuor sacci farti, ex quibus argillosa et dealbata rudera ceciderant.

En hoc fuisse Magistri Cornelii secretum! Revera gypsum esse illud, quod vespere per vias ferebat, ut ventimolinae honor servaretur, et crederetur illic farina fabricari; miseram ventimolinam! miserum Cornelium! Qui a molitoribus illis vaporariis iam pridem orbati erant opere suo; alae semper circumvertebantur, at mola terebatur nihil.

Iuvenculi flentes reverterunt ut mihi, quae viderant, nuntiarent; tali vero narratione cor meum ita commotum est ut protinus ad vicinos currerem et rem paucis verbis exponerem; itaque omnibus consentientibus decrevimus ad Cornelii ventimolinam omne frumentum, quod in villis reliquebatur, mox portari oportere; dictum factum; vicini omnes in itinere erant, et asinis in ordine oneratis frumentum vehebant; verum frumentum id erat.

Ventimolina omnino aperta erat; Magister Cornelius ad ianuam super gypsi saccum sedens flebat, et caput tenebat manibus; nam reversus intellexit aliquem se absente in domum suam intravisse luctuosumque suum secretum comperisse.

“Me miserum! – aiebat - nunc mihi reliquum est nihil nisi meum diem obire; ventimolina infamata est”.

Itaque ex animo singultabat, et variis nominibus ventimolinam vocabat, quasi illa animal esset verum et humanum.

Tunc demum asini in ventimolinae aggerem pervenerunt; nos omnes voce maxima clamare coepimus illo modo, quo clamavimus erat aetate illa ventimolitoribus gratissima: “Eho! Ventimolitor! Eho, Magister Corneli!”.

En sacos ad ianuam cumulari et pulchrum frumentum flavum passim dispergi!

Magister Cornelius magnis oculis rem intuebatur; in vetere sua manu parum frumenti acceperat, et fletum cum risu commiscens dicebat: “Adest frumentum! Domine Deus! Bonum frumentum! Sinite me hoc aspectare”.



Deinde ad nos “Ah! – inquit - mihi certum erat vos ad me esse reversuros; isti vaporarii praedones sunt”.

Et nobis cupientibus eum in vicum triumphantem invehi “non – inquit - non, puelluli mei, opus est me primo ventimolinae cibum praebere; cogitate enim quam diu iam nihil insit in eius stomacho”.

Omnis commoti eramus videntes senem miserum huc et illuc ire et flere et sacos scindere et molam curare, dum frumentum tereretur et pulvisculus ex frumento ad tectum advolaret.

Iusti autem in nos ipsos esse debemus: ex ea die seni molitori opera, nobis providentibus, numquam defuit; aliquo autem mane Magister Cornelius mortuus est et ultima ventimolina, quae nobis erat reducta, alas suas circumrotare desiit in sempiternum; Cornelio mortuo nemo in eius locum successit.

Dicas, domine, quidquid vis! Omnia in hoc mundo suo tempore pereunt; dicendum est periisse ventimolinas, sicut naves per Rhodanum sarcinas portantes et legumlatorum coetus<sup>5</sup> et iaccas floribus ornatas.

---

<sup>5</sup> His verbis Alphonsus Daudet Secundi Imperii regimen politicum vituperat, propterea quod ab anno 1851 Parlamentum Parisimum paene extinctum erat.

**HISTORIOLAM**

**AB**

**ALFONSO DAUDET**

**SCRIPTAM**

**C.T.**

**»Le Secret de maître Cornille«, i.e.  
MAGISTRI CORNELII SECRETUM**



**IN LATINUM CONVERTIT**

**PAULUS KANGISER**

**CHILIANUS IACOBOPOLITANUS  
Santiago de Chile**

## DE LIBERIS NUMERANDIS

### Utrum adhibentur cardinalia an distributiva?

*Hanc symbolam dedico Petro Batavo lectori attentissimo, qui in epistulâ suâ me monuit, ut hanc quaestionem tractarem.*

1. Nullus locus operum Caesaris Ciceronisque, i.e. aureae Latinitatis, nobis traditus est, quo verbum **plurale tantum liberorum, quod valet filios filiasve**, numeratur – apud classicos auctores hoc verbum cum numeris coniungitur neque distributivis neque cardinalibus. Hoc mirum est, cum sit verbum frequentissimum et magna sit copia textuum Ciceronis nobis traditorum.

2. At scimus a **Cicerone** ipso magni factam esse normam grammaticam, quâ observatâ pluralia tantum numerantur numeris distributivis. Nam nobis traditum est eum ipsum expressis verbis vituperasse filium suum Marcum, quod scripsisset “duas litteras”, ubi scribendum esset “binas litteras”, quia ageretur de epistulâ, non de singulis litteris abecedarii:

SERVIUS Aeneis 8,168 Cicero per epistulam culpat filium dicens male eum dixisse “direxi duas litteras”, cum litterae, quotiens epistulam significant, numeri tantum pluralis sint.

3. Reverâ in litteris argenteae et posterioris Latinitatis antiquae non pauci loci inveniuntur, ubi verbum liberorum coniungatur cum numeris **cardinalibus**.

4. Non sôlum Zumpt, sed etiam priores et recentiores (*Laurentius Valla, Apherdianus, Seyfert, Krüger, Kühner, Menge; nuper Bertocchi e.al.*) putant non numerandum esse hoc substantivum nisi numeris cardinalibus. Causas autem iidem afferunt varias, quae mihi non videntur persuasibiles.

5. *Carolus Gottlob Zumpt errat* eo, quod credit formam verbi liberorum non habere significationem simplicem<sup>1</sup>. Reverâ apud Terentium et Ciceronem, id est testes optimos, inveniuntur loci, quibus forma pluralis habet vim numeri singularis<sup>2</sup>:

---

<sup>1</sup>Carl Gottlob Zumpt, Lateinische Grammatik, 9. ed., Berlin 1844, cap.30, p.123: “Numeralia distributiva... Es heißt also i.B. bina castra uno die cepit, trinae hodie nuptiae celebrantur, quotidie quinos aut ternas litteras accipio, denn duo castra würden 2 Castelle, duae aedes zwei Tempel, duae litterae zwei Buchstaben sein; aber nicht mit den distributivis bei *liberi*, weil der Pluralis dieses Wortes keine einfache Bedeutung annimmt (*liberi sind Kinder, nicht ein Kind*)“.

<sup>2</sup> TERENTIUS, Andria 891 Domus uxor **liberi** inventi invito patre (*agitur autem de unâ tantum filiâ illius Chremetis, cui nomen est Glycerium*). id. Heautontimorumenos 151 Chremes. Ingenio te esse in

Iohannes Philippus **Krebs** in “Antibarbaro” verbis effert liberos etiam appellari posse unum tantum filium unamve filiam.<sup>3</sup>

6. Substantiva autem cardinalibus numeris numerari non possunt, nisi exstat etiam forma numeri singularis; ergo, si licet dicere liberos duos, tres, quattuor eqs., oportet exstet quoque “liber unus” (qui valet unum filium unamve filiam).

Revera invenitur forma singularis, quae valeat filium, sed non aetate aureae Latinitatis<sup>4</sup>. E contrario verbum plurale tantum, q.e. liberi,-orum, et quod valet filios filiasve, invenitur iam in litteris Latinitatis priscae<sup>5</sup>.

7. **Gellius** (Noctes Atticae, 1,13) exemplo clare et subtiliter explicato affirmat auctores veteres dixisse “liberos” in multitudinis numero etiam u n u m filium filiamve:

#### **Liberos in multitudinis numero etiam unum filium filiamve veteres dixisse.**

Antiqui oratores historiaeque aut carminum scriptores unum filium filiamve “liberos” multitudinis numero appellarunt. Idque nos, cum in complurium veterum libris scriptum aliquotiens adverterimus, nunc quoque in libro Sempronii Asellionis Rerum Gestarum quinto ita esse positum offendimus. Is Asellio sub P.Scipione Africano tribunus militum ad Numantiam fuit resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. Eius verba de Tiberio Graccho, tribuno plebis, quo in tempore interfectus in Capitolio est, haec sunt: “Nam Gracchus domo cum proficiscebatur, numquam minus terna aut quaterna milia hominum sequebantur.” Atque inde infra de eodem Graccho ita scripsit: “Orare coepit id quidem, ut se defenderent **liberosque suos, eumque quem** virile secus (*i.e. sexus, forma prisca indeclinabilis et neutri generis, adn. LL*) **tum in eo tempore habebat** produci iussit populoque commendavit prope flens”.

**liberos** leni puto (*sed agitur de unico filio Menedemi*, cfr Heaut.93 Menedemus. Filium unicum adulescentulum habeo.). - CICERO De imperio Pompei 12,33 eius ipsius (praetoris) **liberos** a praedonibus esse sublatos (*quamquam una tantum filia erat sublata*) id. Philippica (oratio in Marcum Antonium) 1,2 Praeclara tum oratio M. Antoni, egregia eius voluntas; pax denique per eum et per **liberos** eius cum praestantissimis civibus confirmata est. id. Oratio pro Sexto Roscio.96...Cum Ameriae Sexti Rosci domus uxor **liberique** essent... LIVIUS 3,50 parricidam **liberum** (G.pl.) .... vitam **filiae** (sg.!) .... GAIUS Dig.50,16,148 .

<sup>3</sup> Johann Philipp Krebs, *Antibarbarus der Lateinischen Sprache*, Zweiter Band, Darmstadt (Wissenschaftliche Buchgesellschaft) 1984 (= 7.ed. Basel 1905, p.19, s.v. Liberi: “...**Dass liberi auch von einem Kinde gesagt wurde**, darüber habe ich ausführlich in Z.f.G.W. 1881,S.121 gehandelt; ergänzt wird meine Darlegung durch Landgraf zu Cic. S. Rosc. S.311 f.; vgl. auch Frohberger zu Lysias 1,4.“

<sup>4</sup> PSEUDO-QUINTILIANUS, declamationes 2,8; AURELIUS VICTOR, Liber de Caesaribus, 26,4; Epitome 12,9; CODEX IUSTINIANUS 3,28,33 e.al..

<sup>5</sup> leibereis CIL 1,1531,6; 1,588,9; ENN.scen.129; 165; 299; PLAUT.Am.258; Capt.889; Men.59; ACC.trag.421.

8. Jodocus **Badius** Ascensius (1462-1535) humanista Belga, philologus et grammaticus, explicat, quomodo verbo, quod tractamus, exprimamus sensum singularem (*Sylvae Morales cum interpretatione Ascensii*, Lyon 1492, Folium CLIX (159)):

“Liberi autem plurali dumtaxat numero declinatur, quotiens filium filiamve significat. Nam de una filia etiam liberos Terentius dicit. Ea enim nomina quae plurali dumtaxat numero declinantur, non continuo pluralitatem desiderant. Nam de una epistola dico unas litteras, de uno armamento una arma, de uno ergo filio vel filia **unos liberos.**”

9. Gerardus Ioannes **Vossius** (1577-1649), Batavus humanista et theologus perillustris, multis locis liberos numerat numeris **distributivis** necnon ipso in libro didactico tironibus dedicato praescribit, ut quaeratur: “quoteni sunt liberi?” et respondeatur «bini, terni» eqs.<sup>6</sup>

10. In litteris Latinis, quae inde ex aetate Laurentii Vallae et Iodoci Badii Ascensii scripti sunt, inveniuntur permultis locis **liberi distributivis numeris numerati**<sup>7</sup>. Verè stupendus est numerus talium locorum! Pauca

<sup>6</sup> Grammatica Latina 5.ed., Lugduni Batavorum 1644. cfr Gerardus Ioannes Voss, Latina Grammatica...in usum scholarum adornata. Lugduni Batavorum 1811. editio omnium novissima, curavit A.H. Westerhovius, tom.1, p.164: “De numeralibus....Oratores vero idem facere coguntur in iis, quae singulari carent. Ut, binis litteris, pro duabus epistolis, sic, terni liberi.”

<sup>7</sup> Luciani Samosatensis opera, cum nova versione **Tiber. Hemsterhusii & Io. Matthiae Gesneri**, ...tom.I cuius priorem partem summo studio curavit & illustravit Tiberius Hemsterhusius, ceteras inde partes ordinavit, notasque suas adjecit Ioannes Fridericus Reitzius, **Amstelodami 1743**. Dialogi marini p.315: “2.NEP(TUNUS). Rem teneo. Consiste, insula, atque emerge iterum ex profundo, nec porro sub undis ferare: sed fixa mane, ac suscipe, fortunatissima fratris **liberos binos**, pulcherrimos Deorum.” – **Abundius Presbyter**, Sanctorum martyrum Abundii .passio. **Romae 1584**, p.59 Ostiae Maximus, Claudius, Primus & Praedigna cum **binis liberis**.” – **Henning Witte**, Memoriae Theologorum Nostri seculi clarissimorum renovatae: Decas tertia, **Francofurti 1674**, p.332: “anno 1615, honestam virginem, Reginam Dörflingeram, cum **binis liberis** marito superstitem matrimonio sibi copulavit.” – **van Boxhorn**, Republicae Moscoviae et urbes. **Lugduni Batavorum 1630**: “Alteram deinde uxorem duxit Sophiam, Thomae Palaeologi filiam, ex qua **senos liberos** suscepit. Filiam unam Helenam; & mares quinque Gabrielem, Demetrium, Georgium, Simeonem, & Andream.” – **Friedrich Jacobs**, Anthologia Graeca, sive poetarum Graecorum lusus, tom.V **Lipsiae 1795**, Argumenta epigrammatum, p.429: “...in pueroram...cum **binis liberis** sepultam...I.501.XXI. – **Andreas Brunner**, e Societate Jesu Annales Boicorum...**Francofurti ad Moenum a.1710**, col.156: “Ex **octonis liberis**, quaternis maribus, totidemque sequioris sexus, Otho cognomento Magnus paternam dignitatem ad posteros propagavit.” – **Jan Hendrik Hessel**, Ecclesiae londino-batavae archivum, tom.3, pars 2: Epistulae et tractatus....**London 1897**: “Wolfgangus Bodmer, senex, moderator litteratus, cum **liberis ternis...**” – **Antonio Querenghi** (1546-1633), ap. Uberto Motta 1997: “Frater [...] angusto in patrimonio numerosam mihi familiam tuendam reliquerat, matrem, uxorem, senos liberos, quorum curam negligere sine summo flagitio non possem...” – Lusitania infulata et purpurata seu pontificibus et cardinalibus...**1663**: “Valentiae in uxorem duxit Elizabetham Iacobi comitis Vrgelitani filiam, Petri VI. Regis Aragoniae neptem: ex qua **senos liberos** suscepit...” – **Philippus R. Schroeder 1723** Origines praecipuarum juris civilis materiarum, ad usum earundem hodiernum...: “Num ii, inquit, qui binos vel ternos malae frugis liberos suo loco relinquunt, an vero ii, qui omnes homines observant, quid agant...” – **Martin Luther**, Exegetica opera, tom.II, Erlangae 1829, p.52: “Itaque etiam ex ea re augetur dolor; quod **ternos liberos** amittunt” – Gerard Johannes Voss, Tractatus theologici 1701, p.31: “Quodque ad Jacobum, genuit ille septennio **novenos**, aut **denos liberos...**” – Tobias George **Smollett** (ed.), The critical Review or, Annals of Literature, tom.51, p.122: “Bibliotheca Topographica Britannica: Susanna Mores, annorum triginta septem, **liberorum**

tantum exempla in notâ indicare possum. Usque ad numerum centenarium (sic!) ferê omne numerale distributivum inest exemplis inventis. Inter auctores, qui liberos numerent numeris distributivis, sunt nonnulli quoque coryphaei Latinitatis, philologi praeclari Latinissimê scribentes. Nota bene distributivos numeros non solere adhiberi a tirunculis; eorum formas esse quodammodo *lectiones difficiliores*, ut utar termino artis criticae technico.

**CONCLUSIO:** Priscâ et classicâ aetate verbum “liberi, liberorum m.pl.”, quod tractavimus, fuit plurale tantum, id est substantivum singulari numero carens. Tale autem verbum secundum grammaticam ab ipso Cicerone observatam non numeratur nisi distributivis: ergo duo, tres, quattuor, quinque filii filiaeve sunt ***bini, trini, quaterni, quini eqs. liberi;*** unsu autem filius unave filia appellanda est formâ plurali, quae est ***uni liberi.*** Hae formae a Cicerone et Caesare non traditae sunt, sed oportet deriventur ex usu verbi classico. Usus autem cardinalium, qui ab auctoribus posterioribus traditur, non explicari potest nisi formâ singulari interim exortâ (***unus liber, duo liberi, tres liberi, eqs.***). Ergo aetate

**binorum** matri amantissimae, fidelissimae, conjugi supremum mariti donum....Anno MDCCXLVII (1767)...” – Georgios Paturas Ducas, Ismail Boulliau (1729): Historia Byzantina res in imperio Graecorum gestas complectens, **Venetis 1729**, p.161: “Ahmetis **liberos binos** oppressit...& interfecit.” – George Buchanan, Rerum Scoticarum historiae lib.V: De jure regni apud Scotos, p.146: “...multum obnitente Lothro Rege Pictorum, qui suos **liberos (binos)** enim habebat ex Anna Arcturi amita natis, jam tum pueritiam egressos) graviter querebatur, regno fraudari, spuriumque ex adulterio genitum, eis praeferriri.” – **Laurentius Beyerlinck**, Promptuarium Morale super Evangelia Festorum Totius Anni ad instructionem concionatorum..., pars tertia, **Augustae Vindelicorum et Oeniponti 1749**, p.620: “...erat Radegundis Clotarii Gall. Regis conjux, quae transactis aliquot annis cum marito, post **liberos binos aut ternos**, castitatis deinceps desiderio accensa, divortium impetrat. Quaeque uxor fuit Regis, sponsa Christi efficitur.” – **Camerarius**, in : Melanchthoniana oder Sammlung einiger Nachrichten zur Erleuterung der Geschichte Philipp Melanchthons..., hgg. V. Georg Theodor Strobel, Altdorf 1771: Vita Melanchthonis, p.36: „utriusque sexus **liberos** suscepit **quaternos**, filios duos et totidem filias...“ - Carl Anton Schaab, Die Geschichte der Erfahrung der Buchdruckerkunst durch Johann Gensfleisch genannt Gutenberg zu Mainz, 3.Bd., Mainz 1831, p.8, n.1): „Thoma Petro, qui **quaternos liberos** reliquit imnes fere connubii dignitate functos...“ – Christophorus Godofredus Hoffmann, Historia Juris Romano-Justiniani, vol.II, Lipsiae 1726, p.169: „Quamvis enim **liberos quaternos** Fausta quaedam Ostiensis uno foetu pepererit...“ – **Christiaan Schotanus**, Bibliotheca historiae sacrae veteris Testamenti, seu exercitat...a.**1662**, p.110: „Sed enim quam male convenit temporum illorum moribus, ut initio pubertatis matrimonium inirent? Quodque ad Iacobum, genuit ille septennio **novenos**, aut **denos liberos**, se e duabus uxoribus, ac totidem ancillis.“ – Charles Coates, London 1802, The history and antiquities of Reading, p.508: „Uxorem duxit Catharinam filiam natu maximam Georgii Sawyer...ex qua **undenos** suscepit **liberos**,...“ - **Samuel Reyher**, Mathesis Mosaica sive loca Pentateuchi mathematica mathematicae explicata, Kiliae Holsatorum 1679, p.243: „Opponi posset contra hunc calculum, me multiplicationem ita instituisse, ac si homo solitarius **duodenos liberos** gignere potuisset...“ – **Jacob Gretser**, Commentariolus de imperatorum...in sedem apostolicam... **1610**, praef., p.8: „...in quibus maxime eminent duorum Martinorum Lutheri & Buceri Apostatarum dueae Moniales, quarum altera Luthero **senos**, altera Bucero **ternos denos liberos** peperit.“ – Jacques Cappel, Historia Sacra et exotica ab Adamo usque ad Augustum...Sedani 1613, p.71: „Aegyptus, Danaus, Priamus, Darius dicuntur habuisse **quinquagenos liberos**.“ - **Thomas Cartwright**, Metaphrasis et homiliae in librum Salomonis qui inscribitur Ecclesiastes, Amstelodami 1632, col.233: „Si gignat quis **centenos liberos**, et annis multos vivat...“ –

Latinitatis argenteâ verbum liberorum non iam fuit plurale tantum – itaque numerabatur numeris cardinalibus.

At ex aetate renascentiae permulti auctores Latini, quorum nonnulli sunt philologi praeclari, secundum normam aureae Latinitatis **liberos numeraverunt numeris distributivis, rationem pluralia tantum numerandi classicam sequentes**. Illorum exemplum ut sequamur oportere mihi persuasum est. Haec hactenus.

**VERBUM LATINUM,**

**QUOD EST**

**LIBERI, LIBERORUM M.PL.**

**& QUOD VALET FILIOS FILIASVE,**

**UTRUM NUMERANDUM SIT**

**CARDINALIBUS AN DISTRIBUTIVIS,**

**PERSCRUTATUS EST**

**NICOLAUS GROSS**



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS.**

## ECHUS VOCES

### **MARKUS HÄBERLE Director studiorum Tubingensis**

**d. Veneris, 27.m. Maii, a. 2016**

Care et reverende Leo Latine, gratias tibi ago plurimas pro epistulis, quas tam docte, eloquenter, diligenter conscribis quasque ego semper maxima cum voluptate in hoc officio recipio ac lego! Consilium tuum libenter sequens, ut tollam legam, profecto miror elegantiam expressionis tuae. Multos linguae Latinae amatores te non solum docere, sed etiam delectare necnon movere pro certo credo. Unam rem a te quaerere velim: Quod ex hoc officio quinque annis peractis decidere constitui, ut discipulis meis plus temporis et laboris mei dedere possim, mihi quaeso mittas epistulas tuas impatientissime exspectatas nomine electronico privato ..., ne eis in posterum egeam. Valeas et perseveres!

Markus Häberle, StD Fachreferent für Latein und Griechisch - Schulreferat: Gymnasien in freier Trägerschaft - Regierungspräsidium Tübingen - Abteilung 7, Schule und Bildung.

### **LEO LATINUS MARCO AVENARIO<sup>1</sup> SAL.PL.DIC.**

Care Marce, magno cum gaudio accepi epistolium tuum. Summas gratias! Verbis tuis benevolentissimis necnon Latine scriptis me plurimum exhortaris, ut pergam scribere ad maiorem linguae Latinae gloriam. Inscriptionem tuam electronicam privatam iam inscripsi matriculae Leoninae, ne tibi umquam desint Leonis symbolae novissimae. In munus docendi tuum redintegratum tibi exopto optima quaeque. Medullitus te salutat Leo Latinus.

### **IOHANNES BATAVUS (*Jan-Piet Knijff*)**

**Die Iovis, 26. m.Maii a.2016**

Johannes Batavus Leoni sal. Commentationem tuam, o doctissime Leo, de fabellis Grimmianis tam misere togatis attente legi. Una de re miratus sum: dicis enim *liberos*, ut plurale tantum, distributivis, non cardinalibus numeris esse numerandos. - Apud Lewis & Short autem – viros pol haud indoctos – haec exempla ex contrario nactus sum (s.v. *liber*): ius trium liberorum; “qui liberos tres haberet” (apud Gellium 1, 12, 80); “procreavit liberos septem” (apud Hyginum *Fab.* 9). Necnon “Iulius et Aemilia” – ut legimus in Cap. V libri c.t. *Lingua Latina per se illustrata* illius Ørberg – “tres liberos habent: pater et mater et tres liberi in villa habitant.” - In libro antiquo illius Zumpt c.t. *Lateinische Grammatik* sane exempla usitaria ut bina castra, binae aedes, trinae nuptiae, quinae litterae inveniuntur; addit autem haec: “Aber nicht mit den distributivis bei *liberi*, weil der Pluralis dieses Wortes keine einfache Bedeutung annimmt (*liberi* sind Kinder, nicht ein Kind), demnach duo liberi, jus trium liberum u.s.f.” (p. 112, Cap. 30). - Num aliquid male intellexi? Ceterum fabulas Grimmianas abs te scitissime togatas iterum iterumque magno cum gaudio lego. Athletice valeas cura.

---

<sup>1</sup> AVENARIUS, i.e. nomen gentilicium suebicae originis, q.e. “Häberle”. cfr Hans Bahlow, Deutsches Namenslexikon, Familien- und Vornamen nach Ursprung und Sinn erklärt.. München 1967, p.196, s.v.: „Häberlein (obd., s. Heberlein!), Häberle (Württ.), Haberl (Bay.) meinen den Haberer, Häberer = ,Haferbauer, -händler“, auch Hafermann (Avenarius)...“ cfr op.mem., p.47, s.v. **Avenarius**: „Humanistenname für Habermann. Bekannt ist der Dichter Ferdinand Avenarius; auch Johann Avenarius (1564) durch sein Gebetbuch.“ cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Ferdinand\\_Avenarius](https://de.wikipedia.org/wiki/Ferdinand_Avenarius) - cfr [https://de.wikipedia.org/wiki/Johann\\_Habermann](https://de.wikipedia.org/wiki/Johann_Habermann)

**LEO LATINUS IOHANNI BATAVO SAL.PL.DIC.**

Care Iohannes, gratias tibi debo, quod quaestione tua effecisti, ut diligentius tractarem rem leviter tantum tactam. Fructum laboris a te effecti hac in Epistula Leonina legas, quae so. Utinam tibi placeat. Cura ut quam optime valeas. Medullitus te salutat Leo Latinus.



Olli curvatis pendent vegrandia ramis  
Poma, pari pepones quae mole, nec impare ductu,  
Et multis referunt rugoso cortice sulcis.

**THOMAS STROZA, De cocolatis opificio, lib.I, v.80sqq.**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM SEPTIMAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominico, 29. m.Maii a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**